

II. Additur aliud indicium, scilicet *gravis inimicitia cum eo, cui incendium factum est, & minae*: quia contra inimicum est praesumptio nocendi, uti saepius est dictum: quam praesumptionem juvat accessio minarum, praesertim cum minitans sit talis, qui possit & soleat suas minas dare executioni, nec non post minas non diu incendium subsequutum sit. Hisce enim concurrentibus circumstantiis suspectus omnino torqueri poterit. Joh. Lubler. c. 3. n. 17. & 23. p. 100. de incendio.

ARTICULUS XLII.

Proditionis indicia.

Von Verrätherey gnugsame Anzeigung.

So der Verdacht / heimlicher / ungewöhnlicher und gefährlicher Weiß / bey denjenigen / den er verrathen zu haben / in Verdacht steht / gesehen worden / und sich doch stellet / als sey er vor denselben unsicher / und ist eine Person / darzu man sich solches versehen mag / ist eine Anzeigung zu peinlicher Frage.

AD ARTIC. XLII.

ARGUMENTUM.

Si quis est de proditione suspectus, & clam, more insolito ac periculosissimo apud eos, quibus proditionem fecisse dicitur, visus fuerit, & tamen se simulet, quasi ab iis parum tutus sit, interea homo est non adeo boni ingenii & fama, hoc facit indicium ad torturam.

EXEGESIS.

Proditor est, qui alterius personam, bona, aut ejus consilia in ipsius perniciem animo doloso detegit, & manifestat. Et tripliciter potest considerari (1) *Ratione superioris*, cui Jurejurando obligatus est, quod omne istius bonum promovere, & omne damnum ab ipso velit avertere. Ut cum civis vel subditus prodit hosti Principem, vel civitatem, aditum ad eam, vel arcem & castellum hosti monstrat, vel etiam consilia, & quae alias in secreto tractantur, eidem aperit. Quod etiam de perfido milite & transfuga dici poterit. (2) *Ratione amicitiae*, ut si quis socium vel amicum prodit, ut exinde in periculum vitae & salutis incidere queat; quomodo Judas prodidit suum Dominum & amicum.